

quæ exstat in Bibliotheca Patrum Parisiensi ann. A bricii emendationem (b) ad lib. II, cap. 29, ubi *testificatio pro rectificatio legendum censet* (c).

(a) Bibl. PP. Paris. tom. I, pag. 1.  
(b) Junil., infra, col. 42.

(c) Fabric., II cc.)

## JUNILII DE PARTIBUS DIVINÆ LEGIS LIBRI II.

Sancto ac beatissimo episcopo Primasio Junilius B erudiri volentibus necessaria judicasti, excusantemque me diu usque ad defensionis impudentiam

compulisti : unde in duos brevissimos libellos regularia hæc instituta collegi, addens ipsius dictionis (quantum potui) utilem formam, ut velut discipulis interrogantibus et magistro respondente, breviter singula et perlucide dicerentur. Et ne aliqua confusio per antiquiorum (ut assolet) negligentiam proveniret, Magistro in Græcam litteram, Discipulis vero Δ præposui, ut ex peregrinis characteribus, et quibus Latina scriptura non utitur, error omnis penitus auferatur. Sunt alia illius viri præclara monimenta : Nam et beati Pauli ad Romanos Epistolam audivi subtilius (ut arbitror) exponentem : quam ego ex ejus ore, ne memoria laboretur, excepi ; sed curarum negotiorumque spinæ, ne quid agro dominico fructificemus, impediunt. Sufficit hæc una temeritas, quod divino gazophylacio ex paupertate confessa, duo hæc audeo minuta jactare. Sunt qui talentis onerent unde egentibus prorogetur : qui virtutum gemmas, aurum vitæ, argentum scientiæ, divinis possint offerre sacrariis. Mihi nihil amplius duobus suppetit his minutis (*Luc. XXI, 2*), et ipsis ab alio commodatis. Verum enimvero multum mihi de evangelico examinatore polliceor : quia licet alii ex pretiosissimis pretiosa, ex plurimis valent plura largiri, ego tamen quia totum dedi, plus obtuli. Vale.

salutem.

Scis ipse, venerabilis Pater Primasi, quia vitæ meæ et propositi conscius, sicut divinæ legis me studium habere non denego, ita doctorem dicere non præsumo ; illud propheticum metuens : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (Psal. XLIX, 16)* ? Sed dum te inter alios reverendissimos coepiscopos tuos usque ad Constantinopolim peregrinæ provinciæ coegisset utilitas, ex civitatis affectu in notitiam colloquiumque pervenimus. Tu autem more illo tuo nihil ante quæsisisti, quam si quis esset inter Græcos, qui divinorum librorum studio intelligentiaque flagraret. Ad hæc ego respondi, vidisse me quemdam Paulum nomine, Persam genere, qui in Syrorum schola in Nisibi urbe est edoctus, ubi divina lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis grammatica et rhetorica, ordine ac regulariter traditur. Tunc diu quæsitus, si quid ex ejus dictis haberem, dixi quod legissem regulas quasdam quibus ille discipulorum animos, divinarum Scripturarum superficiei instructos, prius quam expositionis profunda patefaceret, solebat imbuiere : ut ipsarum interim causerum quæ in divina lege versantur, intentionem ordinemque cognoscereat : ne sparsim et turbulente, sed regulariter singula discerent. Hæc tu, Pater, nescio qua ratione omnibus Christianis

\*Nos Latinis characteribus usi sumus. EDIT.

### LIBER PRIMUS.

#### CAPUT PRIMUM.

*D.* In quot primas partes legis divinæ scientia dividitur ? *M.* In duas : quarum una ad ipsam superficiem dictionis proprie pertinet ; alia in rebus est quas ipsa Scriptura nos edocet.

#### CAPUT II.

*Quæ pertinent ad superficiem Scripturarum.*

*D.* Ad ipsam superficiem dictionis proprie pertinentia quot sunt ? *M.* Quinque. *D.* Quæ ? *M.* Species dictionis, auctoritas, conscriptor, modus, ordo. *D.* Species dictionis quot sunt ? *M.* Quatuor. Nam aut

*D.* historica est, aut prophetica, aut proverbialis, aut simpliciter docens.

#### CAPUT III.

*De historia.*

*D.* Historia quid est ? *M.* Præteritarum rerum præsentiumve narratio. *D.* In quibus libris divina continetur historia ? *M.* In septemdecim : Gen. 1, Exod. 1, Levit. 1, Num. 1, Deuter. 1, Jesu Nave 1, Judicum 1, Ruth 1, Regum secundum nos 4, secundum Hebræos 2, Evangeliorum 4, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Actuum apostolorum 1. *D.* Nulli

alii libri ad divinam historiam pertinent? *M.* Adjungunt plures : Paralipomenon 2, Job 1, Esdræ 2, Judith 1, Esther 1, Macab. 2. *D.* Quare hi libri non inter canonicas Scripturas currunt? *M.* Quoniam apud Hebræos quoque super hac differentia recipiebantur, sicut Hieronymus cæterique testantur. *D.* Nulla in his libris alia species invenitur? *M.* Incedunt cæteræ, sed non principaliter : quia etsi personæ a quibus dictæ sunt primum, secundum cæteras species sunt locutæ; tamen ab eo qui librum scripsit, ut historia sunt relata. Sicut benedictiones Jacob patriarchæ, ab ipso quidem propheta dictæ sunt : sed Moyses qui refert, ordine narrat historico. Et cum ipse Moyses dicit : *In principio factum cælum et terram* (Gen. 1, 1); prophætico quidem dicit spiritu, sed specie narrat historica. Similiter et proverbialiter nonnunquam sonat historia, ut est : *Ambulantes ambulaverunt ligna, ungere super se regem* (Jud. ix, 8). Aliquando simpliciter docet, id est : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 4). Omnia tamen, ut dixi, specie contextuntur historica. *D.* Quid historica speciebus cæteris præstat? *M.* Quod ipsi cæteræ subjacent : ipsa, nulli. *D.* Quid illi commune cum cæteris? *M.* Habet commune cum simplici doctrina, quod utraque superficie planæ videntur, cum sint intellectu plerumque difficiles : nam aliæ contra.

#### CAPUT IV. De prophetia.

*D.* Quid est prophetia? *M.* Rerum latentium, præteritarum, aut præsentium, aut futurarum, ex divina inspiratione manifestatio. *D.* Da in præteritis prophetiam. *M.* Verbo Domini cæli firmati sunt (Psal. xxxii, 6). Et : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt* (Psal. cxlviii, 5). Et : *In principio fecit Deus cælum et terram* (Gen. 1, 1). *D.* Da in præsentibus. *M.* Cognitionem futuri facti Giezi propheta in præsentem vidit (IV Reg. v, 26) : et Ananiæ ac Saphiræ, Petrus apostolus (Act. v, 1-10). *D.* Da in futuris. *M.* Ecce virgo accipiet in utero (Isa. vii, 14), etc. *D.* Quare in definitione positum est *latentium*? *M.* Quia si quis jam cognita dicat, licet et futura sint, tamen propheta non est : sicut nos, cum resurrectionem prædicamus, prophætæ non sumus. Si vero cujuscunque temporis latentia manifestat, tunc propheta est, sicut jam ostendimus. *D.* Proba hoc. *M.* Apostoli testimonio, in Epistola ad Corinthios, qui ait : *Si convenerit universa Ecclesia in unum, et linguis loquantur omnes, intrent autem idiotæ, nonne dicent quia insantis? Si autem omnes prophetent, intret autem infidelis aut idiota, convincitur ab omnibus, interrogatur ab omnibus, occulta etiam cordis ejus manifesta erunt : et tunc cœdens in faciem, adorabit Deum, annuntians quod manifeste Deus in vobis est* (I Cor. xiv, 23-25). Ecce Apostolus prophetiæ vim in occultorum manifestatione signavit. Sed et sequentia in eadem Epistola et cæteris, multa

<sup>a</sup> Cautè lege, nam perperam quosdam libros a canonice sanctarum Scripturarum evellit. BRASICHELL. Iudic. libror. ekuurg., tom. I, pag. 57

sunt talia. *D.* Quare addidimus : *Ex divina inspiratione*? *M.* Quia illi qui aut dæmonum instinctu, aut aliis modis latentia dicunt, licet prophetæ dici possunt, tamen inter divinam Scripturarum non numerantur auctores. *D.* In quibus libris prophetia suscipitur? *M.* In septemdecim : Psalmorum cl. lib. 1, Osee lib. 1, Isaia lib. 1, Joel lib. 1, Amos lib. 1, Abdia lib. 1, Jonæ lib. 1, Michæ lib. 1, Nahum lib. 1, Sophonia lib. 1, Habacuc lib. 1, Jeremiæ lib. 1, Ezechiel lib. 1, Daniel lib. 1, Aggæi lib. 1, Zachariæ lib. 1, Malachiæ lib. 1. Cæterum de Joannis Apocalypsi apud Orientales admodum dubitatur. *D.* Nulla in his libris alia species invenitur? *M.* Accedunt cætera; sed non principaliter, nisi ad probationem prophetiæ : sicut in Isaia cap. vii, xxxi, xxxvii, Achaz et Ezechia regum velut quædam refertur historia; sed prophetiæ intentio est, non gesta contexere, sed prædictorum exitum comprobare. Jeremias cum dicit : *Terra, terra, audi verbum Domini* (Jer. xxii, 29), terram, proverbialiter, habitantes in ea homines nuncupat. Et cum Isaias dicit : *Non tale jejuniū elegi, dicit Dominus : sed solve omnem nodum iniquitatis* (Isa. lviii, 5, 6), etc., velut simpliciter docet, sed ut prophætico spiritu jussus hæc prædicat. *D.* Quid prophetiæ commune cum cæteris? *M.* Habet commune cum Proverbiis quod utraque superficie difficilia sunt, sed pleraque intellectu non ardua.

#### CAPUT V. De Proverbiis.

*D.* Quæ est proverbialis species? *M.* Quædam figurata locutio, aliud sonans, aliud sentiens, et in præsentem commonens tempore. *D.* In quibus hæc libris accipitur? *M.* In duobus : Salomonis Proverbiorum lib. 1, et Jesu filii Sirach lib. 1.

*D.* Nullus alius liber huic speciei subditur? *M.* Adjungunt quidam librum qui vocatur Sapientiæ, et Cantica canticorum. *D.* Acciduntne his libris aliæ species? *M.* Sola simplex doctrina accidit, sed non principaliter, nisi ad explanationem vel commendationem Proverbiorum : ut, *Initium sapientiæ timor Domini* (Prov. 1, 7; ix, 10).

*D.* Quid Proverbiis commune cum cæteris? *M.* Habet cum prophetia commune, quod superficie difficilis videtur, cum intellectu plerumque non sit.

*D.* Quid habet proverbialis species proprium? *M.* Quod ei neque historia, neque prophetia miscentur; et sola est quæ ita intelligitur, ut quodammodo verborum superficies auferatur. *D.* Quare in hoc tantum licitum nobis est, non textum Scripturæ ipsius considerare, sed sensum, cum in cæteris tribus ita allegorias mysticas admittamus, ut narrationis lidem præsentare necesse sit? *M.* Quia si voluerimus proverbiale speciem ubique allegorias sic recipere, ut narrationis veritas infirmetur, locum damus inimicis, prout voluerint, divinos libros interpretandi. *D.* Quot modis in divina lege allegoria cognoscitur?

<sup>b</sup> Citra omne jam dubium liber Apocalypsis et canonicus et prophæticus est. Id. ibid.

**M.** Quatuor : aut secundum translationem vel metaphoram, ut est : *Iratus est Dominus, et descendit* (Exod. iv, 14), et similia quæ ad insinuandas causas ex humanis moribus transferuntur ad Deum; aut secundum imaginationem vel hypotyposin, ut est in Evangelio : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho* (Luc. x, 30); et rursus parabola vineæ atque agrorum (Ma.th. xx, xxv). Ordo enim eorum quæ geruntur a Christo, velut imagine personæ et negotii alterius refertur impletus. Aut secundum comparationem vel similitudinem, sicut dicit : *Simile est regnum cælorum grano sinapis* (Luc. xiii, 19), etc. Non enim narratio, sicut in superiori exemplo contextitur, sed causarum solummodo comparantur effectus. Aut secundum proverbialem modum, ut est : *Bibe aquam de tuis vasis, et de cisterna tua, et de tuis puteis* (Prov. v, 15), cum velit Scriptura innuere, carnalem concupiscentiam contra licentiam conjugii reprehendam.

## CAPUT VI.

### De simplici doctrina.

**D.** Quæ est simplex doctrina? **M.** Qua, de fide aut de moribus in præsentem tempore simpliciter docetur.

**D.** Quare hoc nomen accept? **M.** Quia omnis quidem Scriptura aliquid docet, sed sub aliis speciebus quas supra diximus; sub quibus aliud etiam agitur. Hæc autem neque historiam textit, neque prophetiam, neque proverbialiter loquitur; sed tantummodo simpliciter docet. **D.** Qui libri ad simplicem doctrinam pertinent? **M.** Canonici sexdecim; id est, Eccles. lib. 1. Et Epist. Pauli Apostoli ad Rom. 1, ad Corinth. 2, ad Gal. 1, ad Ephes. 1, ad Philip. 1, ad Coloss. 1, ad Thessal. 2, ad Timoth. 2, ad Titum 1, ad Philem. 1, ad Hebr. 1; Beati Petri ad Gentes 1, et Beati Joannis prima. **D.** Nulli alii libri ad simplicem doctrinam pertinent? **M.** Adjungunt quæmplurimi quinque alias quæ Apostolorum Canonice nuncupantur : id est, Jacobi 1, Petri secundam, Judæ unam, Joannis duas. **D.** Nulla in his libris alia species invenitur? **M.** Accedunt cætera, sed non principalter, nisi ad probationem doctrinæ. Nam cum dicit Apostolus : *Et dum venissem Troadem, in Evangelio Christi osium mihi apertum est* (II Cor. ii, 12); et ubi Petro dicitur in faciem restitisse, velut historiam videtur texere. Rursus cum dicit : *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem res mutabimur, sed non omnes immutabimur* (I Cor. xv, 51), prophetae opus aggreditur. Cum ait : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (Th. i, 12), proverbialibus utitur verbis : omnia tamen ad doctrinæ probationem, ut diximus, inseruntur. **D.** Quid commune cum cæteris speciebus simplex doctrina habet? **M.** Habet cum historia commune, quod utraque, superficie faciles videntur, cum sint inspectione aut intellectu pererumque difficiles.

\* Quinam libri in Scripturæ canonem admittendi essent, nondum erat tam explicite quam nunc ab Ecclesia constitutum.

## CAPUT VII.

### De auctoritate Scripturarum.

**D.** Quomodo divinorum Librorum consideratur auctoritas? **M.** Quia quidam perfectæ auctoritatis sunt, quidam mediæ, quidam nullius. **D.** Qui sunt perfectæ auctoritatis? **M.** Quos Canonicos in singulis speciebus absolute enumeravimus. **D.** Qui mediæ? **M.** Quos adungi a pluribus diximus. **D.** Qui nullius auctoritatis sunt? **M.** Reliqui omnes. **D.** In omnibus speciebus hæc differentia invenitur? **M.** In historia et simplici doctrina : omnes namque in prophetia mediæ auctoritatis libri, non præter Apocalypsin reperiuntur : neque in proverbiali specie omnino cessata

## CAPUT VIII.

### De scriptoribus divinorum Librorum.

**D.** Scriptores divinorum Librorum qua ratione cognoscimus? **M.** Tribus modis. Aut ex titulis et præconiis, ut Propheticos Libros, et Apostolorum Epistolas; aut ex titulis tantum, ut Evangelistas; aut ex traditione veterum, ut Moyses creditur scripsisse quinque primos libros historię; cui non dicit hoc titulus, nec ipsa referat, *Dixit Dominus ad me* : sed quasi de alio, *Dixit Dominus ad Moysen*. Similiter et Jesu Naye liber, ab eo quo nuncupator, traditur scriptus. Et primum librum Regum Samuel scripsisse perhibetur. Sciendum præterea quod quorundam Librorum penitus ignorantur auctores, ut est Judicium, et Ruth, et Regum III et ultimus, et cætera similia : quod ideo credendum est divinitus dispensatum, ut alii quoque divini Libri non auctorum merito, sed sancti Spiritus gratia tantum culmen auctoritatis obtinuisse noscantur.

## CAPUT IX.

### De modis Scripturarum.

**D.** Modi divinæ Scripturæ quot? **M.** Duo : nam aut metris Hebraicis in sua lingua conscribuntur, aut oratione simplici. **D.** Quæ sunt metris conscripta? **M.** Ut Psalmi, et Job historia, et Ecclesiastes, et in Prophetis quædam. **D.** Quæ simplici oratione conscripta sunt? **M.** Reliqua omnia. **D.** Quare apud nos iisdem metris conscripta non sunt? **M.** Quia nulla dictio metrum ipsa lingua conservat, si vim verborum ordinemque non mutet.

## CAPUT X.

### De ordine Scripturarum.

**D.** Quis est ordo divinorum voluminum? **M.** Quia quædam Veteris Testamenti, quædam Novi. **D.** Quæ ad Novum Testamentum pertinent? **M.** Evangelia (ut supra dictum est) quatuor, Apostolicæ Epistolæ, et Actus. **D.** Quæ ad Vetus Testamentum pertinent? **M.** Reliqua omnia. **D.** Quæ Testamenti Veteris Novique sunt propria? **M.** Veteris intentio est, Novum figuris denuntiationibusque monstrare : Novi autem, ad æternæ beatitudinis gloriam humanas mentes accendere.

## CAPUT XI.

*De his quæ Scriptura sacra nos edocet.*

*D.* Quoniam satis dictum est de his quæ ad ipsam Scripturæ superficiem proprie pertinent, nunc require quæ sunt quæ ipsa Scriptura nos docet. *M.* Tria quædam : nam aut de Deo loquitur, aut de præsentis sæculo aut de futuro.

## CAPUT XII.

*Quot significationibus Scriptura de Deo loquitur.*

*D.* Quot significationibus Scriptura de Deo loquitur? *M.* Quatuor. Aut enim essentiam ejus significat, quam Latine et substantiam nuncupamus, ut est : *Ego sum qui sum (Exod. iii, 14)*. Aut personas, vel secundum Græcos, subsistentias, ut est : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Math. xxviii, 19)*. Aut operationem, ut scriptum est : *Secundum operationem potentie virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans eum a mortuis, et sedere faciens ad dexteram suam (Ephes. i, 19, 20)*. Aut collationem ejus ad creaturas, ut est : *Regi autem sæculorum incorrupto, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum (I Tim. i, 17)*.

## CAPUT XIII.

*De significationibus divinitatis essentia.*

*D.* Quot modis divina significatur essentia? *M.* Duobus : principaliter et consequenter. *D.* Principaliter quibus verbis? *M.* Octo. Dicitur enim, aut Deus, aut Dominus, aut simul, Dominus Deus; aut Adonai, aut Sabaoth, aut Heli, aut Heloi; aut, *Est*. *C.* Nihil aliud quam Deum hæc verba significant? *M.* Duo tantum nonnunquam et de aliis abusive dicuntur; Deus et Dominus, teste Paulo : *Quoniam dii multi et domini multi (I Cor. viii, 5)*. Et : *Dii estis et filii Excelsi omnes (Psal. lxxxix, 6)*. Reliqua vero sex nunquam nisi de Deo dicuntur. *D.* Quid de Deo hæc verba significant? *M.* Non quid est, sed quia est : quid enim sit Deus, comprehendi non potest. *D.* Quibus modis Deus consequenter significatur? *M.* Cum personas, aut operationem, aut collationem ejus ad creaturas Scriptura exponit. Nam et cum nominat Patrem, licet primus auditus generantem significet, consequenter tamen intelligimus Deum : similiter et quando nominat Filium vel Spiritum sanctum. Et cum dicit, *omnipotens*, licet operationem ejus primus sermo denuntiet, consequenter tamen intelligimus Deum. Et cum dicit invisibilem, licet eum qui videri a mortalibus nequeat, principaliter sonet, et ex collatione nostra id quod non sumus ei qui nos fecit assignet, consequenter tamen intelligimus Deum.

## CAPUT XIV.

*De significationibus Trinitatis.*

*D.* Quot modis Personas sive <sup>b</sup> substantias divi-

nitatis Scriptura significat? *M.* Similiter duobus : Principaliter et consequenter. Principaliter, ut eum dicitur, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Consequenter, per ea quibus significatur essentia, aut operatio, aut ad creaturas collatio. Nam et cum dico, *Deus*, quod ad essentiam; et cum dico *omnipotens*, quod ad operationem pertinet, dico. Et cum dico, *immutabilis*, quod ex collatione ad creaturas dicitur, licet aliud primus auditus sentiat, tamen Patrem et Filium et Spiritum sanctum, vel simul, vel singulos, consequenter Deum intelligo.

## CAPUT XV.

*Quot modis Pater significatur.*

*D.* Quot modis Pater significatur? *M.* Patris nomine unam personam intelligis, sed non uno modo : ad Filium enim proprie dicitur, ad creaturam communiter : ibi naturæ veritate, hic gratiæ bonitate. *D.* Hoc uno modo Pater significatur? *M.* Principaliter hoc. Nam consequenter et ex his quæ essentiam deitatis, aut operationem, aut collationem ad creaturas quolibet modo significant. Insuper et ex Filii vocabulo consequenter intelligitur Pater; et sancti Spiritus nomine, ipse scilicet Pater cuius est Spiritus, subintelligitur. *D.* In ipsa Trinitate, nulli alii personæ vocabulum Patris adscribitur? *M.* Legitur de Filio dictum : *Pater futuri sæculi (Isa. ix, 6)*; sed hoc secundum carnem dictum est, et non proprie et significative : ut ostenderetur ipse causa et genitor beatitudinis nostræ; in quo per carnis resurrectionem humana natura futuram vitam et operare incipit et sumere.

## CAPUT XVI.

*Quot modis Filius significatur.*

*D.* Quot modis loquitur Scriptura de Filio? *M.* Quinque. Nam velut sola nonnunquam deitas ejus significatur, et consequenter intelligitur carnis assumptio, ut est : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris (Joan. i, 18)*. Nonnunquam vero solus homo ab eo susceptus, et deitas consequenter, ut est : *Novissime locutus est nobis in Filio (Hebr. i, 2)*. Nonnunquam simul utrumque, ut est : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinavit formam servi accipiens (Philip. ii, 5-7)*. Nonnunquam et ad corpus videntur dicta, quæ ad deitatem sunt principaliter referenda, ut est : *Filius hominis e quidem in cælo (Joan. iii, 13)*. Rursus divinitati nonnunquam videntur adscripta quæ specialiter referuntur ad carnem, ut est : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixerunt (I Cor. ii, 8)*. *D.* Quare his quinque modis loquitur Scriptura de Filio? *M.* Distincto quidem ideo secundum naturas loquitur, ut inconferas eorum proprietates ostendat; communiter, ideo ut asserat unitatem. Alternat vero humana divinitas et

<sup>a</sup> Juxta Gr. ἀθάρατος. Alii tamen codices et Patres nonnulli legunt ἀθανάτω, immortalis, ut habet Vulg.

<sup>b</sup> Leg. subsistentias.

<sup>c</sup> Leg. forte, qui est.

divina humanis, ut utramque unius Personæ indivisumque monstretur. *D.* Quot modis solet Filii significari Persona? *M.* Duobus: et ipse principaliter quidem significatur, cum Christus dicitur absolute. Nam cum alii Christi vocantur, alterius quidem dicuntur, ut est, *Christus Domini* (*I Reg.*, xxiv, 7, 11), aut *Christus meus* (*Psal.* civ, 15). Solus autem Deus naturaliter Dei Filius Christus absolute dicitur; unde et hoc solius ejus esse proprium declaratur. Consequenter vero intelligitur Persona Filii; et ex illis tribus quibus et Pater, et ex ipso Patris vocabulo, et ex Spiritu sancto; quia et Spiritus dicitur Patris et Filii.

#### CAPUT XVII.

*Quot modis significatur Persona Spiritus sancti.*

*D.* Quot modis significatur Persona Spiritus sancti? *M.* Principaliter uno, ut legitur: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19). Et iterum: *Templum enim estis Spiritus sancti* (*I Cor.* vi, 19). Consequenter vero et gratia quam ipse largitur, quæ ipsa similiter sanctus Spiritus dicitur, ut est: *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* i, 35). Et: *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22). Similiter et ex his quibus divina significatur essentia, vel operatio, vel ad creaturas collatio, sicut et de Filio diximus: sed et Patris Filiique Persona Spiritum sanctum significat consequenter; quia quidquid horum dicamus, etiam Personam sancti Spiritus aut cooperatricem aut consubstantialem intelligimus consequenter.

#### CAPUT XVIII.

*Quid habent commune vel proprium Personæ Trinitatis.*

*D.* Quid habent proprium Personæ singulæ Trinitatis? *M.* Quod Pater nunquam dicitur Filius, nec conjunctis sermonibus, Spiritus sanctus; licet divise et Spiritus dici possit et sanctus. Nec Filius Pater proprie dici potest, aut conjunctive Spiritus sanctus. Nec rursus sancto Spiritui Patris aut Filii nomen ascribitur. *D.* Quæ sunt his Personis communia? *M.* Omnia quæ ad significationem aut essentiæ, aut operationis, aut ad creaturas collationis pertinere noscuntur: unde et constat Trinitatem unius esse substantiæ. *D.* Patris et Filii et Spiritus sancti vocabulis, quid in his Personis significatur? *M.* Tantum quod sunt. Nam quid sunt (ut supra de Deo diximus) sermo non potest explicare.

#### CAPUT XIX.

*Per quot species divinitatis operatio designetur.*

*D.* Per quot species divinitatis efficiencia sive operatio designatur, quam Græci *ἐνεργεῖαν* nuncupant? *M.* Quatuor: aut creatione, aut providentia circa creaturas, aut futurorum circa eas præparatione, aut præparatorum exitu vel eventu. *D.* Da ad operationem pertinentia. *M.* Ut cum dicitur Bonus; ex eo maxime quod quæ non erant, esse fecit ac facit: et Sapiens, eo quod tam mirabiliter cuncta cernimus

\* Addendum videtur *rebus*, ex contextu.

ab eo ordinata: et Fortis, eo quod potuit, quæ tam bene et sapienter voluit, adimplere. *D.* In Deo, hæc essentia sunt, an voluntates? *M.* Deus simplex est, nec est in eo aliud essentia quam voluntas: unde et omnia nomina operationis ejus, licet inter se definitionibus differant, apud ipsum tamen nulla differentia vel diversitas invenitur. Itaque et essentia vel natura facit, quia ei nihil accidens est; et tamen etiam voluntate, quia nihil necessitate efficit, aut coactus. Non enim, sicut ignis naturali necessitate urit, aut apes naturali necessitate fabricant ceras, vel telas aranæ, ita etiam Deus operatur; sed Deus ideo natura vel essentia facere dicitur, ne voluntas in eo quasi aliud aliquid demonstretur: et ideo voluntate, quia nihil operari compellitur; sed essentialiter vult, et voluntate subsistit. *D.* Da specialiter ad creationem pertinentia. *M.* Ut cum dicitur Factor, Artifex, Creator, et similia: quamvis dicatur et facere, pro disponere, ut est: *Fecit salutem in medio terræ* (*Ps.* lxxiii, 12): sed tunc secundum speciem providentiæ dicitur. *D.* Da quæ ad providentiam specialiter pertinent. *M.* Ut cum dicitur Adjutor, Præscius, Omnipotens, et similia. *D.* Da ad præparationem pertinentia futurorum. *M.* Ut cum dicitur Via, et Spes, Refugium, et similia. *D.* Da ad eventum præparatorum pertinentia. *M.* Ut cum dicitur Exsultatio, Gaudium, et cætera similia. Omnia autem ad operationem pertinentia, non in omnibus tantum, sed etiam in verbis, vel revelationibus similibus cognoscuntur. *D.* His tantum modis divina operatio declaratur? *M.* Est alius figuratus modus, cum ex humanis operatio divina significatur. *I.* Quot modis sit? *M.* Duobus. Cum aut quæ ad animum nostrum pertinent figurative dicuntur in Deo, ut est furor, et ira, et poenitentia: aut ea quæ ad corpus tractantur, id est pedes, manus, digiti. Aliquando enim et humanæ operationes transferuntur ad Deum, ut cum dicitur: *Apprehende arma et scutum* (*Psal.* xxxiv, 2). Omnia tamen hæc prædictis quatuor speciebus operationis, pro sententiarum qualitate jungenda sunt.

#### CAPUT XX.

*Quibus modis ex collatione ad creaturas Deus significatur.*

*D.* Quot modis ex collatione ad creaturas Deus significatur? *M.* Duobus: affirmatione et negatione. *D.* Confessione quidem, cum ea dicuntur de Deo, quæ juxta eundem modum nulli creaturæ conveniunt; ut est, Simplex, et Vetustus dierum, Ante omnia, et Spiritus: id est incircumscribitus, et Primus, Novissimus, et similia. Hæc enim omnia ideo de Deo dicuntur, quia nulli creaturæ (ejus collatione) conveniunt. Per negationem autem collatio fit, cum, præpositione privativa, ea in Deo negantur quæ in creatura sunt: ut est Ingenitus, Incorporeus, Increatus, Incorruptibilis, Immortalis, Impassibilis, et similia. *D.* Quid ergo? hæc verba nunquam de creatura dicuntur? *M.* Dicuntur quidem, sed non secundum eandem rationem. Nam cum homo dicitur simplex,

non quia compositus non est (soli enim Dei est esse essentialiam simplicem), sed simplex homo dicitur, quia non habet doli duplicitatem. Sic et cum dicitur aliquid invisibile, non quia a nullo, in quantum est, videri non potest (hoc enim solius Dei est), sed quia aliquos latet. Similiter et cætera dicuntur. *D.* Quæ sunt collativa, quæ de Deo sic dicuntur ut de creatura dici non possint? *M.* Quæ in eo summa sunt et singularia, ut Ingenitus, Sempiternus, Sine initio, et similia.

## LIBER II.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid de præsentī sæculo Scriptura significet.*

*D.* Quoniam satis dictum quot modis de Deo Scriptura loquatur, nunc requiro quæ, de præsentī sæculo loquens, Scriptura significat. *M.* Quædam quinque: aut generationem ejus, id est creationem, aut gubernationem, aut accidentia naturis, aut evenientia voluntatibus, aut subsequencia voluntatis eventus.

### CAPUT II.

*Quot modos et differentias in operatione creaturarum Scriptura posuerit.*

*D.* Quot modis generationem sæculi Scripturasignificavit? *M.* Tribus. Aut enim sola Dei voluntate factum aliquid scribitur, ut est: *In principio fecit Deus cælum et terram* (Gen. 1, 1). Aut voluntate simul et voce, sive præceptiva, ut est: *Fiat lux* (Ibid., 3), et: *Fiat firmamentum* (Ibid., 6); sive deliberativa, ut est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Ibid., 26). Aut voluntate, voce ac definitione, ut est: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (Ibid., 28). Et iterum: *Germinet terra herbam pabuli ferentem semem secundum genus suum, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in eo ad similitudinem ejus in terra* (Ibid., 11), et cætera quæ post septimum diem, usque in finem sæculi per partes operatur: ex illa enim definitione proveniunt. *D.* Est in his tribus aliqua differentia? *M.* Est, quia ea quæ sola voluntate vel etiam voce sunt facta, noviter facta sunt; quæ vero definitione, illis jam similia quæ facta noviter diximus: Et rursus illa quidem in sex primis diebus, hæc vero donec sæculum stabit. *D.* Da ordinem per sex dies factarum rerum. *M.* In ipso quidem principio conditionis facta sunt cælum, terra, angeli, aer et aqua. *D.* Comproba angelos, et aquas, et aerem factum. *M.* Facta quidem ex his Scripturæ locis ostenditur, ut est: *Qui facit angelos suos spiritus* (Psal. ciii, 4). Et: *Laudate eum, omnes angeli ejus* (Psal. cxlviii, 2). Et: *Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini: quoniam ipse dixit, et facta sunt* (Ibid., 4, 5). Et aer in Scripturis cæli nomine ostenditur, ut est: *Volucres cæli* (Psal. viii, 9), cum certum sit aves in aere volare. Cælum autem ostendimus factum. Quod vero præcesserint ista cæteras creaturas, in angelis Scripturæ demonstrat, dum in laudibus et benedictionibus creaturis cæteris præponuntur: et ratio id postulat; oportuit enim ut terrenas cælestis creatura præcederet. De aquis vero ipsa Scriptura dicit quod *Spiritus Dei*

*ferebatur super aquas* (Gen. 1, 2). *D.* Sequere ordinem generationis. *M.* In principio, die prima, lux facta est: secunda vero die, firmamentum: tertia, mare et terræ nascentia: quarta, luminaria cæli: quinta, natantia et volatilia: sexta, reliqua animalia et homo. *D.* Quæ est in ipsarum creaturarum operatione distinctio? *M.* Quod quædam ex nihilo facta sunt, ut cælum, terra, et cætera quæ usque ad completum diem primum diximus facta; quædam vero ex jam factis primo die. *D.* Da horum probationes. *M.* Quia quoties Scriptura ex aliquo factas res cupit ostendere, aut palam significat, ut est: *Producat terra* (Ibid., 11), et: *Producant aquæ* (Ibid., 20), et similia. Aut certe ex subtili significatione verborum, ut cum dicit: *Fiat firmamentum* (Ibid., 6), utique significat fuisse aliquid fluidum ac liquidum, id est aquas: quæ ut solidatæ ostenderentur, firmamentum vocatum est, quod flebat. Et rursus luminaria derivativa appellavit, quæ quarto die facta sunt: ut ex lumine, primo die operato, facta monstraret. In his autem quæ primo die facta sunt, neque aperte, neque subtili verbo factum aliquid declaratur ex altero. *D.* Nihil ergo post primum diem ostenditur, ex non existentibus factum? *M.* Sola hominis anima: in quo et hoc ad ostendendum quia cum alia aut ex nihilo, aut ex jam factis facta sint, solus homo ex utroque componitur. *D.* Quas alias differentias creatoris ascribimus? *M.* Quod ea quæ primis sex diebus facta sunt, non naturaliter, neque ex similitudine provenerunt; reliqua vero quæ sunt naturaliter, ex divina definitione nascuntur, exceptis scilicet miraculis. *D.* Da tertiam differentiam. *M.* Quod creaturarum aliqua, id est rationales, a propter se ipsas factæ sunt, ut angeli et homines. Reliquæ vero non propter se, sed propter prædictos angelos aut homines factæ noscuntur. Homo vero principaliter, secundum animam, propter se intelligendus est factus. Nam secundum corpus consequenter. *D.* Quid autem? præter homines et angelos, aliæ creaturæ se ipsis invicem non egebant? *M.* Egebant quidem, non ad utilitatem tamen, sed ad ornatum: utiles enim sunt, non sibi, sed angelis vel hominibus pro quibus etiam factæ noscuntur. Ornatum vero etiam invicem præstant: quippe et cælum inornatum sine cælestibus luminariis fuit, et luminaria ipsa, ne superflua facta essent, videntium oculis indigebant; et mare inornatum, donec aut locum suum reciperet, aut animalibus impleteretur; et terra incomposita, præter habitantium vel nascentium usum; et irrationabilia animalia, sine

<sup>a</sup> Id est, non propter alias creaturas: alioquin enim non propter se, sed propter Deum creatos esse

constat homines et angelos.

<sup>b</sup> Malim intelligibili.

hominis regimine inepta; et herbarum, absente animalium usu, superflua. Ita omnia egent invicem vel his quæ per dies sex facta sunt, vel his quæ quotidie fiunt. Sed, ut jam diximus, aliud esse incompositum, aliud utile incompositum, aliquid per se utile alteri declaratur. *D.* In ornamento ipso aliqua est differentia? *M.* Est. Nam aliqua in sex diebus ornata sunt; ut cælum luminaribus, et terra herbis, et piscibus mare. Quædam donec mundus vivit ornantur, ut mare navigiis, et terra ædificiis et castris quæ humano construuntur ingenio, et homo ipse scientia. Quædam vero decorem suum in futuro recipient, ut corpus incorruptionem, et mortalia immortalitatem, et cælestem regnum habitationem sanctorum.

Notandum autem in ornamentis, quod eorum quæ vel ingenio vel artibus fiunt, in hominibus causa est; reliquorum vero in Deo. *D.* Da quartam differentiam. *M.* Quod quædam simul et velut subito creata emergerunt, ut ea quæ primis diebus diximus facta, id est herbas, luminaria, natantia et volatilia, necnon terrena animalia et quadrupedia. Quædam vero non simul, sed velut cum quadam mora, ut mare, terra, homo: et ipse enim paulatim factus scribitur, sicut et cætera. *D.* Da quintam creaturarum differentiam. *M.* Quod quædam earum ratione cæteris præsent, ut rationalia; quædam vero usui habentur, ut cælestia luminaria; quædam naturæ necessitate obsequuntur, ut aves et quadrupedes, et similia. *D.* Da sextam differentiam. *M.* Quod ea quæ cæteris præsent, id est rationalia, voluntate ac ratione moventur; quæ vero usu ac necessitate obsequuntur, natura moventur. *D.* Ea quæ ex aliquo facta sunt, quot materias habuerunt? *M.* Sex: terram, aquas, aerem, ignem, lumen, costam. *D.* Da in singulis origines suas. *M.* Ex terra, virentia, plantaria et animalia; ex aquis, firmamentum, mare, natantia ac volatilia; simul autem ex terra, aquis, igne et aere, omnia quæ per successiones renovantur; ex lumine, luminaria; ex costa, Eva. *D.* Ignis quomodo probatur factus, aut unde, vel quando? *M.* Factum quidem et ex generali Scriptura possumus approbare, cum dicitur de Deo: *Qui fecit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt* (Psal. cxlv, 6): quia utique etiam ignis in eis est. Ex speciali professione: *Laudate Dominum de terra, dracones, abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum* (Psal. cxlviii, 7, 8), de quibus ante dixerat: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt* (Ibid., 5). Et rursus: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino* (Dan. iii, 57); et subiunxit: *Benedicite, ignis et æstus, Domino* (Ibid., 66). Utrum vero ex nihilo, sicut et alia, factus sit, an ex aliquo, dubitatur. Plures enim volunt cælestium luminarium esse particulam; quippe enim nunc frequenter videmus homines certo modo ignem ex solis radiis mutuari: quod si ita est, primo die factus est. Sed sapientius hoc Scriptura lumen quam ignem vocavit, ut ex meliore usu nomen acciperet. *D.* Da septimam creaturarum differentiam. *M.* Quod omnia quæ ex aliquo facta sunt, vel ex quibus

A aliqua facta sunt, corporea sunt: incorporea autem neque ipsa ex aliquo, neque ex ipsis facta sunt aliqua. Hæc vero incorporea accipienda sunt, non sicut Deus incorporeus dicitur; ejus enim comparatione nihil incorporeum est, sicut nec immortale, nec invisibile. Alius enim modus est quo hæc verba soli divinitati conveniunt, alius quo de creaturis loquitur, sicut animabus vel angelis. *D.* Quomodo sex diebus Deus dicitur operatus esse, et septimo die requiesisse, si nec faciens aliquid laborat, ut necessaria ei requies credatur, nec aliquando cessat, Domino in Evangelio dicente: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Joan. v, 17)? *M.* Septimo die requiesisse dicitur Deus, non a creando, quippe cum quotidie ex ejus dispensatione ac providentia omnis creatura renovetur et constet; sed hoc significatum est, quod post illos sex dies nullam mundo incognitam substantialem speciem, aut naturam novam inexpectamque creavit. *D.* Quomodo Deus mundum fecerit, possumus querere? *M.* Hoc temerarie magis quam caute requiritur. Nullius enim divinæ creaturæ modum homini licet agnoscere: nam si sciret quis quomodo ex nihilo aliqua facta sunt, Creatori utique scientia ac potentia par esset.

### CAPUT III.

*De his quæ ad gubernationem mundi pertinent.*

*D.* Quoniam de creatione mundi tractatum est competenter, restat ut queramus, gubernatio ejus quot modis significatur? *M.* Duobus: aut enim generalis est, aut specialis. *D.* Quæ est generalis? *M.* Per quam ea quæ facta sunt, secundum modum quo facta sunt permanent; quod significatur, eum dictum est: *Vidit Deus quia bonum* (Gen. 1, 4 et seq.); et: *Quid bona valde, et benedixit ea* (Ibid., 31). Quod et beatus David ostendit dicens: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit* (Psal. cxlviii, 5, 6). *D.* Quæ est gubernatio specialis? *M.* Per quam singula, et maxime rationabilia gubernantur a Deo, sicut præceptum in paradiso, de ligno (Gen. ii, 9). Sicut enim omnes creaturas divina continet virtus, ut maneant; ita etiam rationales diversis occasionibus erudit, ut proficiant.

### CAPUT IV.

*Quot modis fiat generalis gubernatio.*

*D.* Generalis gubernatio in quot species dividitur? *M.* In duas: aut enim successione constat, aut statu. Successione, ut homines vel jumenta cæteraque quæ morte vel corruptione pereuntia, renascentium similitudine renovantur. Statu autem, ut ea quæ his passionibus non subjacentia, mundanis motibus obsequuntur, ut cælum, sol, et stellæ, et cætera. *D.* Quæ in eis alia differentia est? *M.* Quod ea quæ renovatione solvantur indigent etiam quibusdam remediis, alimentis et pluviis; nonnunquam et ministeriis angelorum, cæterisque similibus. Ea vero quæ non per successionem subsistunt, sine aliqua tali mediacione

\* Ita rescripsimus pro meditatione. Edit.

et virtus gubernantur. Utrum vero et in ip-sis per Angelorum ministerium aliquid agatur, secreta et difficilis questio est.

### CAPUT V.

#### Quibus modis fiat gubernatio specialis.

*D.* Specialis gubernatio quot modis fit? *M.* Tribus: aut enim a Deo fit, pro angelis et hominibus; aut ab angelis, propter se ipsos et homines; aut ab hominibus, propter se. *D.* A Deo pro angelis et hominibus quomodo fit? *M.* Per legislationem.

### CAPUT VI.

#### De legislatione et discretione eius.

*D.* Legislatio in quot partes dividitur? *M.* In duas: in naturalem discretionem, et in legem extrinsecus positam. *D.* Proba naturalem discretionem, legem dici. *M.* Dicit Apostolus: *Quia gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex (Rom. II, 14): secundam hæc et Cain reus erat fratris sui occisi.* *D.* Extrinsecus constituta lex in quot partes dividitur? *M.* In duas: in opera, id est actuum retributionem, et verba.

### CAPUT VII.

#### De lege per opera.

*D.* In opere per quot modos? *M.* Per quatuor: aut per generalem præsentem retributionem, ut est fructuum rerumque proventus; aut per specialem præsentem retributionem, ut est Abraham in peregrinatione ditatus, vel Noe salvatus in diluvio; aut per generalem visibilem pœnam, ut est fames generalis, seu siccitas; aut per specialem, ut Cain vel Saul pœna. Hæc enim omnia, ad modum legis, angelos atque homines erudiunt; quippe et angelos diaboli ruina perterruit atque firmavit: licet credendum sit alio modo angelos, alio homines erudiri. *D.* Quæ est totius legislationis intentio, et in quo consistit? *M.* In discretionem boni ac mali: quæ vel in doctrina, id est fide, vel in actibus agnoscuntur.

*D.* Quare pœnas et retributiones præsentem diximus? *M.* Quia ipsa sunt quæ ad vicem legis erudiunt. Nam futura et æterna nec patientibus, nec videntibus proderunt, ubi jam pœnitentiæ non erit tempus. *D.* Hæc gubernatio, per quos ministros in Scripturis legitur facta? *M.* Nonnunquam Deus per se ipsum, ut Adæ præcepit ne tangeret lignum; nonnunquam per angelos, testante Apostolo: *Quia si per angelos locutus sermo factus est firmus (Hebr. II, 2).* Et rursus primogenita Ægypti angeli manu dicuntur extincta (*Exod. XII, 29*). Aut per homines, sicut per prophetas. Aut per bestias, sicut per serpentes in eremo (*Núm. XXI, 6*), atque similia. Et per hæc enim, velut quamdam substantialem ac materialem legem, a malis prohibent propter quæ ingeruntur; et ad bona propter quorum retributionem oratur, impellunt.

\* Cautè ista lege: nam lex non jubebat privatim mala malis restitui, sed juridice, auctoritate publica:

### CAPUT VIII.

#### De lege per verba.

*D.* Lex in verbis constituta in quot partes dividitur? *M.* In duas: aut enim immutabile aliquid præcipitur, aut temporale. *D.* Quot sunt immutabilium genera? *M.* Duo: dilectio Dei, et dilectio proximi. *D.* Temporalia præcepta in quot partes dividuntur? *M.* In duas: aut enim diu servata sunt, ut circumcisio; aut parvo tempore, ut manna perceptio. *D.* Quæ alia est legum differentia? *M.* Quæ aut aliquid præcipiunt, ut: *Honora patrem tuum (Exod. XX, 12)*; aut aliquid vetant, ut: *Non occides, Non mœchaberis (Ibid., 15, 17)*.

*D.* Da tertiam differentiam. *M.* Quod alia sunt per se utilia, alia propter illa necessaria. *D.* Quæ sunt per se utilia? *M.* Dei proximique dilectio. *D.* Quæ sunt propter alia necessaria? *M.* Ut: *Non occides*; homicidio enim dilectio fratris expellitur: et observatio sabbati; in ejus enim observatione commemoratio est quietis Dei ab operatione creaturarum, in qua celebritate Dei ut conditoris dilectio significatur. *D.* Da quartam differentiam. *M.* Quod quedam præcepta velut corporalia erant, ut de animalibus mundis et immundis, ac lepra, et similibus. Quedam spiritalia, ut: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo (Levit. XIX, 17)*. *D.* Da quintam differentiam. *M.* Quod quedam sunt Veteris Testamenti specialiter præcepta, ut de jubileo: quedam specialiter Novi, ut: *Sic orabitur: Pater noster, qui es in cælis (Matth. VI, 9)*; quedam utriusque communia, ut: *Diliges Dominum Deum tuum (Matth. XXII, 37; Marc. XII, 30; Luc. X, 27)*. *D.* Da sextam differentiam. *M.* Quod aliqua præcepta sicut sonant intelliguntur, ut est: *Non mœchaberis (Exod. XX, 14)*; aliqua autem sonant sicut res est: *Cum feceris elemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextera tua (Matth. VI, 3)*.

*D.* Da septimam differentiam. *M.* Quod aliquorum transgressio præceptorum pœna punitur, ut est: *Oculum pro oculo, dentem pro dente (Levit. XXI, 20)*: aliquorum pœna non habetur, ut: Panem sacerdotalium comedi ab eo qui sacerdos non erat (*I Reg. XXI, 6; Matth. XII, 4*): aliorum vero etiam laudabilis transgressio est, ut est: *Si reddidi retribuētibus mihi mala (Psal. VII, 5)*. Lex enim tunc jubebat malis mala restitui. Invenitur ergo contemptus legis esse laudabilis. *D.* Da octavam differentiam. *M.* Quod aliqua præcepta ad fidem pertinent, aliqua ad mores: quorum subdivisio admodum proluxa cognoscitur.

### CAPUT IX.

#### De angelica gubernatione.

*D.* Angelorum propter se ipsos et homines gubernatio quomodo fit? *M.* Palam quidem in Scriptura non legitur: tamen cum in ea dicantur esse angelorum gradus et ordines, atque discursus propter humanam vitam, ut pro Tobia et Daniele et aliis, sine

neque hujus transgressio bona. BRASSELL. Indic. libror. expurgand. tom. I, pag. 57.



dubio significantur quod injuncta sibi in mundo ne-  
gotia gubernant : quibus et sibi consulunt dum obe-  
diunt Creatori, et hominibus, dum eorum dispensa-  
tionis prospiciunt.

### CAPUT X.

#### *De humana gubernatione per homines.*

*D.* Hominum propter se ipsos gubernatio quot mo-  
dis fit? *M.* Tribus : aut enim pro republica quis  
hominum satagit, ut rex; aut pro domo, ut paterfa-  
milias; aut pro se ipso, ut quilibet monarchus, et  
egenus. *D.* Nullis aliis creaturis convahit. guberna-  
tio? *M.* Omnibus quidem convahit; cunctis enim se-  
cundum suam naturam, velut prudentiam quendam  
Creator inclusit, sicut legitur : *Valde colligere filios*  
*tuos, sicut gallina pullos suos (Math. XIII, 37),* et  
similia. Sed neque intentio Scripturæ est de irratio-  
nabilibus subtiliter edocere, neque in ea proficien-  
tium est desiderium in his quærendis tempus atte-  
rere.

### CAPUT XI.

#### *De accidentibus naturæ.*

*D.* Quoniam de gubernatione mundi satis dictum  
est, quæ sunt naturæ accidentia? *M.* Divinæ quidem  
naturæ nihil accidit : cum enim sit inconprehensi-  
bilis, et temper eodem modo se habens, non recipit  
accidentium diversitatem. *D.* Quæ certe accidunt  
creaturis? *M.* Stare, ut terræ, secundum Scrip-  
turam; moveri, ut cælo, igni, et aquis cæterisque  
enascensibus. Deinde tempus, locus, numerus. Om-  
nia enim et aliquando cæperunt, et alicubi sunt, et  
unum vel plura. Item accidunt, generari, corrumpi,  
sanitas, ægritudo, forma, positio, artium discipli-  
narumque capacitas. Item crescere, nutrir, sentire,  
vivere, mori, inter se differre, et esse contraria.  
Insuper ordo, consecutio, coherentia, hisque si-  
milia atque contraria; nec tamen singulis, uni-  
versa.

### CAPUT XII.

#### *De accidentibus voluntatis.*

*D.* Quoniam satis dictum est de accidentibus na-  
turarum, dicendum nunc de accidentibus voluntatis.  
Quid est voluntas? *M.* Vis animi inviolata sive spon-  
tanea, secundum quæm diversæ atque contrariæ cogi-  
tationes efficiuntur, et opera. Naturalis est in nobis  
boni malique communis discretio; spontaneus autem  
motus in his quæ jam discreta et sequenda sunt.  
Ipsam lex quidem erudit; gratia autem præparat,  
adjuvat, corroborat, coronat.

### CAPUT XIII.

#### *De consequentibus eventum voluntatis.*

*D.* Quæ sunt consequentia voluntatis eventus?  
*M.* Quatuor. Quædam enim in hac vita, aut bona  
bonis, et mala malis eveniunt, ut Abraham prosperitas  
(*Gen. xiii, 6*), et Cain pœna (*Gen. iv, 11*).  
Aut contra, bona malis, et mala bonis, ut dives qui  
in Evangelio usque ad mortem felix describitur  
(*Luc. xvi, 13*); et contra Lazarus ulceribus atque

A egestate torquetur. Aut certe neque his, neque  
illis utralibet retributio; ut pro Joseph vendito  
(*Gen. xlv, 18*) nulla ultio fratribus irrogatur. Nec  
socer Moy-i pro regendo populo consilium dans  
(*Exod. xviii, 17*), licet laudetur, a Deo aliqua mer-  
cede donatur. *D.* Quas hujus diversitatis dicimus  
causas? *M.* Aliquibus hic congrua rependuntur, ne  
mundus non putetur providentia divina regi, sed  
casibus; simul ut et bonos bonorum copia consoletur,  
et malos similibus pœna deterreat. At vero malis  
felicitas permittitur, ut boni probentur et discant ea  
contemnere quæ videntur indignis secum esse commu-  
nia : bonis autem æque accidunt mala. Aut utriusque  
generi nulla hic compensationis imago conceditur,  
ut alibi et judicium et plenam pro actibus retribu-  
tionem certissime possimus cognoscere. *D.* Da quar-  
tum modum. *M.* Cum ii neque mali aliquid per se,  
neque boni gesserunt, bona participant aut mala, ut  
infantes; aut forsitan neutra, ut sunt abortivi; de  
quorum et statu, et merito, causa subtilis dubiusque  
tractatus est.

### CAPUT XIV.

#### *De his quæ ad futurum sæculum pertinent.*

*D.* Quoniam omnes regularum partes de præsentī  
sæculo complevimus, quæ ad futurum credimus per-  
tinere? *M.* Quatuor quidem. Aut enim acceptatio est  
sive vocatio, aut figura, aut prædictio, aut effectus  
vel exitus prædictorum.

### CAPUT XV.

#### *De acceptationibus.*

*D.* Quam vocamus acceptationem sive vocationem?  
*M.* Eam, scilicet, qua Deus quosdam homines vel popu-  
los specialis gratiæ beneficio sibi conciliare dignatur,  
plusque circa eos quam circa cæteros homines di-  
vinæ indulgentiæ et quasi familiares favores ostendit.  
*D.* Quot sunt acceptationes? *M.* Decem. *D.* Da or-  
dinem acceptationum. *M.* Prima est beati Abraham;  
secunda, Isaac; tertia, Jacob et ex eo natorum duo-  
decim patriarcharum; quarta, tribus Juda; quinta,  
totius populi in Ægypto; sexta, sancti David;  
septima, domus ipsius David, et per ipsam totius  
tribus Juda; octava, reditus populi ex captivitate;  
nona, Domini nostri Jesu Christi secundum carnem;  
quam sibi uniens Dei Filius ex genere David, et per  
eum ex Abraham atque ex Adam, omnium nostrum  
saluti remissionique prospexit : decima, omnium  
gentium per dispensationem incarnationis ipsius Dei  
et Salvatoris nostri. *D.* Quid ergo? Justi et Deo pla-  
centes ante Abraham homines non fuerunt? *M.* Fue-  
runt quidem : quippe cum filii Dei appellati sint qui  
ex Seth fuerant progenerati (*Gen. vi, 2*); et Enoch  
translatus sit; Noe percussus mundi renovator ef-  
fectus; et Melchisedech, summi sacerdotis exem-  
plum. Sed in istis non divina acceptatio, id est, spe-  
cialis illa familiaritas et favor ostenditur; sed ipsorum  
justitia declaratur. Ad Abraham vero Dei frequens  
allocutio et quasi convictus, ac per singula dispen-  
satio, probationis promissa præmia, in posteros re-

corlatio, vim miram divinæ acceptationis ostendunt. **A** Similiter et circa ceteros supra dictos, peculiaris quidam divinitatis favor, et quasi per singulos vitæ ætus palam dispensata gubernatio, præcipuum gratiæ declarat auxilium. *D.* Quare hæc ad futurum sæculum dicimus pertinere, cum in præsentia gesta sint? *M.* Quia unaquæque res ex effectu perspicitur, et eadem est facti causa, atque facientis intentio. *D.* Proba harum acceptationum causas ad futura respicere. *M.* Gentium fides pro spe vitæ æternæ religionem sequitur Christianam. Nam Christus ipse Dominus toto doctrinæ suæ remedio actuque miraculis, nec non resurrectione atque ascensione, futuram vitam docuit, promisit, approbavit, indulgit. Jam cæteras acceptationes, quis pro Domino sacramentisque ignorat effectas? Ipse Abraham, **B** Isaac, Jacob, promittitur salutem gentibus collaturus. Propter eum Abrahæ semen a cæteris gentibus segregatur; et propter ipsum Judæ tribus et benedictione præcellit, et in captivitatem ultima ducitur, et prima salvatur; quia ex ipsa Dominus carnem sumpsisse dignatus est, adeo ut ex illa Judæi fierint nuncupati. Ipse, David domique ejus ac tribui re-promittitur, in perpetuum de ejus semine regnatura. Igitur si fides gentium pro vita futura, Christi incarnationis pro fide gentium facta, omnes acceptationum series ad futurum sæculum pertinere ex ipsa intentione colligitur. Hæc autem omnia etiam Novi ac Veteris Testamenti testimoniis facile comprobantur, cum ubique dispersa sint.

#### CAPUT XVI.

##### De typis.

*D.* Quid est typus? *M.* Quam nos figuram dicimus, sive formam; sicut dicit Apostolus: *Omnia enim in figura contingebant illis (I Cor. x, 11).* Et iterum: *Adam qui est forma futuri (Rom. v, 14).* Nec enim abs re est unum aliquid multis significari vocabulis. *D.* Quid est ergo typus, sive figura? *M.* Præsentium, aut præteritarum, aut futurarum rerum ignotarum, per opera (secundum id quod opera sunt) manifestatio. *D.* Da præteritorum typos. *M.* Ut est catechumenorum humilitas; typum enim gerunt Adæ paradiso exclusi, et ex conscientia delictorum divinam metuentis aspectum, propter quod et per publicum capitibus tectis incedunt. *D.* Da in præse tibus. *M.* Ut Aaron vestis, qua duodecim tribuum nomina lapidibus insita gestabat, ostendens se quodammodo pro omni populo supplicare. *D.* Da de futuris. *M.* In his nulla est difficultas; tamen ex superfluo, ut in duobus filiis Isaac duo Testamenta monstrata sunt (*Gal. xiv, 24*). *D.* Quoniam et de prophetica similem per definitionem diximus, quid interest? *M.* Quod in prophetia, verbis (secundum hoc quod verba sunt) futura significantur; typis autem res declarantur. Ex rebus possunt tamen hæc duo et ita definitione misceri, ut dicamus quia prophetia est typus in verbis, secundum id quod verba sunt; et contra, typus prophetia est de rebus, in quantum res esse noscuntur.

#### CAPUT XVII.

##### De differentiis typorum.

*D.* Quot sunt typorum vel figurarum modi? *M.* Principaliter quatuor. Aut enim grata gratis significantur, aut mœsta mœstis; aut grata mœstis, aut gratis mœsta. *D.* Da exempla per singulos modos. *M.* Grata quidem gratis significantur, ut Domini secundum carnem resurrectio et in cœlis habitatio, formæ nostræ resurrectionis, et futuræ justis in cœlo habitationis indicium, sicut dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Coloss., iii, 3).* Mœsta vero mœstis præfigurantur, ut diaboli angelorumque ejus dejectio, et futuræ pœnæ reprobatio, figura est eorum qui pro similitudine operum pœnis similibus detrudentur; sicut et beatus Petrus eadem forma ad deterrendos vitur peccatores, dicens de Deo: *Quia et angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis tradidit eos (II Petr. ii, 4).* Tertius modus est, cum mœstis grata significantur, ut Adæ transgressio typus fuit justitiæ Salvatoris nostri, sicut beatus Apostolus docet: *Quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic etiam per obedientiam unius hominis justitiam constituentur multi. Regnavit enim mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem transgressionis Adæ, qui est forma futuri (Rom. v, 19, 14),* id est, typus. In Græco enim, *typus*, specialiter legitur. Secundi ergo Adam, id est, Christi, gratia, forma vel typus fuit transgressionis Adæ per contrarium, **C** scilicet, figurata. Quartus modus est, cum gratis mœsta figurantur, ut baptisma; etenim figura est mortis Domini nostri Jesu Christi, sicut dicit Apostolus: *Quotquot enim baptizati estis, in morte Jesu Christi baptizati estis (Rom. vi, 3).* Quid enim aut baptisate gratius, ubi a peccato purgamur, et quo filii Dei efflicimur; aut morte mœstius, ad quam ipse quoque qui eam fuerat sponte sumpturus, tamen mœstus accessit? *D.* Quæ alia typis accidunt? *M.* Temporum differentia. Nam quædam ante Legem sunt, ut Abel a fratre occisus Christi passionem præfigurabat (*Gen. iv, 8*); et Noe arca Ecclesiam (*Gen. vii, 7*); et cætera similia. Quædam vero sub Lege, ut ipsius Moysi mors, et Jesu gloria. Quædam sub Gratia, ut baptizatorum indumenta, et sacerdotum vestes, et dominici corporis participatio, et singula alia: quæ omnia typis monstrare, non ad regularum doctrinam, sed ad expositionem textus pertinet. *D.* Qua ratione figuras sive typos ad futurum sæculum dicimus pertinere? *M.* Quia Veteris Testamenti figuræ ad Novum intentione respiciunt; Novum autem figuræ vitæ beatitudinem reprobant; et sic omnia ad futuri sæculi spem ex ipsa intentione currunt.

#### CAPUT XVIII.

##### De prædictionibus.

*D.* Quoniam typorum regulam diximus, de prædictione videamus. Quid est prædictio? *M.* Futura-

rum, et incertarum rerum veris (in quantum verba A sunt) manifestatio. *D.* Quæ accidunt prædictionibus? *M.* Principaliter tria: quod quædam ante Legem fuerunt, quædam sub Legem, quædam sub Gratia.

### CAPUT XIX.

*De prædictionibus ante Legem, quot modis factæ sunt?*

*D.* Ante Legem prædictiones quot modis factæ sunt? *M.* Quinque. Aut de generalitate communiter, ut est: *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (Gen. ii, 24). Et rursus: *Maledicta terra in operibus tuis* (Gen. iii, 17). Hoc enim, per unum, omnium humani generi prædictum esse cognoscitur. Aut ex parte vel medio, ut est: *Multiplicabo dolores tuos* (Ibid., 16). Et: *Conversio tua ad virum tuum, et ipse tibi dominabitur* (Ibid.). Hoc enim non omnium humani generi, sed omnibus tantum feminis dicitur. Aut singulariter, ut est: *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, quia ipsa est mater omnium viventium* (Ibid., 20). Aut pro initio Veteris Testamenti, ut est: *Maledictus Chanaan, servus eris fratribus suis* (Gen. ix, 25). Aut pro Novo Testamento principaliter; nam cum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. i, 26): *Venite, descendamus, confundamus linguas eorum* (Gen. xi, 7): pluralis numerus Trinitatis iudicium est, qui Novo Testamento apertius prædicatur. Et cum dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra* (Gen. iv, 10), passio Domini nostri Jesu Christi prædicatur, Apostolo teste in Epistola ad Hebræos (Hebr. xii, 24): quia conspersio sanguinis Christi plus potuit ad Donatum clamare pro nobis, quam Abel sanguis clamaverat contra fratrem.

### CAPUT XX.

*Quot modis sub Lege prædictiones factæ sunt.*

*D.* Sub Lege, prædictiones quot modis factæ sunt? *M.* Duobus. Aut pro his rebus quæ sub Lege factæ sunt, aut pro his quæ sub Gratia.

### CAPUT XXI.

*Pro rebus sub Lege factis, quot sunt prædictiones.*

*D.* Pro rebus quæ sub Lege factæ sunt, quot prædictionum species invenimus? *M.* Fere viginti duas. *D.* Aut enim augmentum populi prædicatur, ut est ad Abraham: *Et eris in gentem grandem et multam* (Gen. xii, 2). Aut hæreditatis promissio, ut est: *Sevini tuo dabo terram hanc* (Ibid., 7). Aut segregatio indignorum, ut est: *Ejice ancillam hanc et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* (Gen. xxi, 10). Aut vindicta in adversarios populi, et merces in amicos, ut est: *Benedicam benedicentes te, et maledicam maledicentes te* (Gen. xii, 3). Aut liberatio populi ab inimicis, ut est: *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et erunt inde cum proavatione magna* (Gen. xv, 3), et cætera. Aut

aliquorum generationes et nomina, ut Isaac et Samsō. Aut sublimitas posterorum, ut: *Reges ex te erunt* (Gen. xvi, 6). Aut mortis exitus, ut est: *Tu autem ibis ad patres tuos cum pace, nutritus in senectute bona* (Gen. xv, 15). Aut differentia populorum, ut est: *Populus populum præcedet, et major serviet minori* (Gen. xxv, 23). Aut abundantia ut est: *Dabit tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ plenitudinem frumenti et vini* (Gen. xxvii, 28). Aut divinum auxilium, ut est: *Ecce ego tecum sum custodiens in omni via* (Gen. xxviii, 15). Aut sacerdotii vel doctrinæ electio, ut est: *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel* (Gen. xlii, 7). Aut fortitudo et hæreditatis immutabilitas, ut est: *Catulus leonis Juda, ex radice filii mei ascendisti; recumbens dormisti sicut leo, et sicut catulus leonis; quis excitabit eum* (Ibid., 9)? Aut propositum vitæ, ut: *Zabulon peregrinus inhabitavit, et ipse portus navium, et sciens requiem, quia bona est* (Ibid., 15), et cætera. Aut transgressio, ut dicit: *Scio enim quia in fine transitus mei iniquitatem ageris, et declinabis a via quam mandavi vobis* (Deut. xxxi, 29). Aut supplicium, ut est: *Quia occurrent vobis mala in fine dierum* (Ibid.) Aut generalis expulsio, ut dicitur: *Quia ipsi æmulati sunt me in diis, et exacerbaverunt me in idolis suis: et ego æmulabor eos in non gentem, in gentem insipientem tradam eos* (Deut. xxxii, 21). Aut virtutis effectum atque mercedem, ut est: *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam* (Psalm. xiv, 1, 2), et cætera. Aut species penæ, ut est: *Venit Gad ad David et annuntiavit ei dicens, Elige tibi fieri aut tribus annis famem super terram, aut tres menses fugere a facie inimicorum tuorum persequentium te, aut tribus diebus fieri mortalitatem in terra tua* (II Reg. xxiv, 13). Aut signa, ut est: *Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus regem super hæreditatem suam* (I Reg. x, 1), et reliqua. Aut electio prophetiæ, ut est: *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis* (Luc. i, 76). *D.* Quæ prædictiones de gentibus pro populo. *M.* Ut est: *Manus ejus super omnes, et manus omnium super eum* (Gen. xvi, 12). Et: *Surgite et exite ex loco hoc, quia coheret Dominus civitatem* (Gen. xix, 14). Visiones quoque Nabuchodonosor et Pharaonis, aliorumque regum vel gentium per prophetas dictæ, generales quidem causas referunt; ad populum tamen spectat intentio, pro ejus ultione singula provenerunt.

### CAPUT XXII.

*De prædictionibus sub Lege in Christo.*

*D.* Quot sunt modi prædictionum in Christo? *M.* Fere viginti sex. Aut de mirabilibus ejus conceptu et nomine, ut est: *Ecce Virgo in utero concipiet, et partiet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (Isa. vii, 14). Aut de loco nativitalis, ut est: *Et tu, Bethleem, civitas Juda, nullò modo minor es in civitatibus Judæ: ex te enim prodiet dux qui reget popu-*

\* Vulg., filii sui. Et mox, habitabit pro inhabitabit

lum meum Israel (*Mich.* v, 2). Aut pro his quæ in rudimentis gessit; ut est: Priusquam sciat puer cognoscere malum, et eligere bonum (*Isa.* vii, 16). Aut de justitia ejus atque judicio, ut est: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psalm.* xlii, 8). Aut de divinitate ejus, ut est: *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isa.* liii, 8)? Aut de visitatione assumptionis humanæ, ut est: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitasti eum* (*Psalm.* viii, 5)? Aut pro unitate deitatis et carnis, ut est: *Puer natus est nobis* (*Isa.* ix, 6) et postmodum addidit: *Deus fortis*. Aut de potentia ejus et regno, ut est: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psalm.* i, 6). Aut de inimicorum contractione, ut est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psalm.* viii, 8). Aut de ejus doctrina, ut est: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psalm.* xlii, 3). Aut de ejus doctrinæ utilitate, ut est: *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam* (*Ibid.*, 5). Aut pro miraculis, ut est: *Et deducet te mirabiliter dextera tua* (*Ibid.*). Aut de glorificatione quam juste a fidelibus suscepit, ut est: *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi* (*Ibid.*, 18). Aut de probatione prædicationis, ut est: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum* (*Psalm.* viii, 2)! Aut de sacerdotio, ut est: *Tu es sacerdos in æternum* (*Psalm.* cix, 5). Aut de judicio ejus atque justitia, ut est: *In splendoribus sanctorum* (*Ibid.*, 4). Et rursus: *Judicabit, implebit ruinas, confringet capita in terra multorum* (*Ibid.*, 6). Aut de laboribus vitæ ejus, ut est: *De torrente in via bibit* (*Ibid.*, 9). Aut placidum circa Patrem incarnationis mysterium Scriptura significat, ut est: *Eccce puer meus, dilectus mihi, in quo complacuit anima mea* (*Isa.* xlii, 1). Aut sancti Spiritus<sup>a</sup> infusionem, quam utique homo ab eo susceptus meruit sive in principio ipsius incarnationis, sive in incremento, sive in resurrectione, sive in miraculis, sive in doctrina, sive in resurrectione, ut est: *Ponam Spiritum meum super eum* (*Ibid.*) et: *Spiritus Domini super me, propterea unxit me* (*Isa.* lxi, 1), et reliqua. Aut diligentiam circa discipulos, ut est: *Non dicet, neque clamabit, neque audiet quis in plateis vocem ejus* (*Isa.* xlii, 2). Aut sessionem ejus super jumentum, ut est: *Ne timeas, filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ* (*Zach.* ix, 9). Aut passiones vel sepulturam causasque eorum, ut dicitur: *Vidimus, et non habebat speciem neque decorem, sed species inhonorabilis, inferior omnibus hominibus*. Et rursus: *Homo in plagis, et sciens ferre<sup>b</sup> humilitatem, quia adversa facies ejus et dehondata est, et ad nihilum reputatus: ipse peccata nostra portans, et pro nobis dolet; et nos putavimus eum esse in dolore et in*

plaga et in ærumna. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra (*Isa.* liii, 2-5). Aut divisionem vestimentorum ejus, ut: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*. (*Psalm.* xxi, 19). Aut resurrectionem Domini, ut: *Non derelinquens animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psalm.* xv, 10). Aut vocationem Filii secundam assumptam humilitatem, ut est: *De Ægypto vocavi filium meum* (*Ose.* xi, 1). Aut divinitatis ejus generationem ante principium, ut est: *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psalm.* cix, 5). Aut secundum ejus adventum: *Ecce super nubes cæli sicut Filius hominis* (*Dan.* vii, 13). D. Omnes hæc prædictiones de solo Salvatore<sup>c</sup> non intelliguntur? M. Duobus modis hæc solemus accipere. Quædam enim ita in ipsius personam prædicta sunt, ut aliis convenire non possint, sicut legitur: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux ex femore ejus, donec veniat cui reposita sunt* (*Gen.* xlix, 10). Quædam vero sub alterius personæ occasione dicuntur, ad Christum tamen intellectu respiciunt: *In te, et semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii, 13).

## CAPUT XXIII.

De prædictionibus ad vocationem gentium pertinentibus sub Lege.

D. Quoniam prædictiones de Christo dictas in veteri Lege probavimus, de eas quæ de gentium vocatione sunt positæ. M. De vocatione gentium prædictiones fere decem et septem modis positas accipimus. Aliquando enim acceptionem earum significant, cum dicitur: *Ego ambulabo eos in non gentem, in gentem insipientem irritabo eos* (*Deut.* xxxii, 21). Aliquando infirmitates, peccatorum expulsionem, meliorumque doctrinam, cum dicitur: *Pronuntiare pauperibus misit me, prædicare captis remissionem, et cæcis visum* (*Isa.* lxi, 4); aliquando gratiam quam acceperant, sive adoptionis, sive miraculorum, cum dicitur: *Filiæ regum in honore tuo: astitit regina a dextris tuis* (*Psalm.* xlii, 10). Aliquando etiam admonitionem, ut illud quod sequitur: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, obliviscere populum tuum* (*Ibid.*, 11). Aliquando glorificationem quam Christo debemus, cum dicitur: *Quia ipse est Dominus Deus tuus, adorabis eum* (*Ibid.*, 12). Aliquando beatitudinem et virtutem quam meretur fidelis, cum dicitur: *Adducentur regi virgines post eum* (*Ibid.*, 15). Aliquando lætitiâ in qua sunt, profectum suum videntes, cum dicitur: *Adducentur cum gaudio et exultatione* (*Ibid.*, 16). Aliquando sacerdotiam et ecclesiasticam consuetudinem, cum dicitur: *Pro patri us tuis nati sunt tibi filii* (*Ibid.*, 17). Aliquando Ecclesiæ spirituales ædificationem, cum dicitur: *Ex gradibus eburneis, ex quibus te delectaverunt* (*Ibid.*, 9). Aliquando ecclesiasticam auctoritatem, cum dicitur:

<sup>a</sup> Cautè lege; nam hæc ista cum placitis theologiæ consonant, quæ docent Christum nec suam incarnationem, nec gratiam aut gloriam animæ meruisse, sed gloriam duntaxat sui corporis, et nominis

sui exaltationem. *S. Thom.*, iii part., q. 19, art. 5. BRASCHIELL. Indic. libror. expurgand. tom. I, pag. 57.

<sup>b</sup> LXX, *μυλακιας*. Vulg., *infirmitatem*.

<sup>c</sup> Forte leg., num intellig.

*Pones eos principes super omnem terram* (Ps. l. XLIV, A 17). Aliquando plenitudinem credentium, cum dicitur: *Replebitur gloria ejus omnis terra, fiat, fiat* (Psalm. LXXI, 49). Aliquando tolerantium sive tentationes, sive persecutiones, cum dicitur: *Donec educat in victoria iudicium, et in nomine ejus gentes sperabunt* (Isa. XLII, 4). Aliquando inimicorum destructionem, cum dicitur: *Et inimici ejus terram lignant* (Psalm. LXXI, 9). Aliquando pacem qua gaudet post persecutiones Ecclesia, cum dicitur: *Orietur in diebus ejus justitia et plenitudo pacis, donec confirmetur luna* (Ibid., 7). Aliquando hæreticorum errores, et Eliæ præsentiam, cum dicitur: *Ecce transmitto vobis Eliam Thesbiten, et revocabit corda patrum in filios* (Malach. IV, 5, 6). Aliquando fidelium spem, et secundum Salvatoris adventum, cum dicitur: *Et ipse erit expectatio gentium* (Gen. XLIX, 10). Aliquando baptismum Joannis, cum dicitur: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (Malach. III, 1).

#### CAPUT XXIV.

*De speciebus prædictionum, quæ in Gratia factæ sunt.*

D. Quoniam species prædictionum quæ in Loge sunt diximus, da eas quæ in Gratia leguntur emissæ. M. Prædictionum quæ in Gratia factæ sunt species viginti tres inveniuntur. Aut enim generatio et vita Joannis Baptistæ prædicatur ad patrem ejus Zachariam, ut est omnis locutio illa per angelum, et prophetia ipsius Zachariæ (Luc. I, 13-17, 68-79). Aut Salvatoris conceptus nativitasque mirabilis, ut est prædictio quam ad sanctam Mariam angelus dixit (Ibid., 28-37). Aut magorum revelatio, aut Judæorum incredulitas atque conversio (Math. II, 1 seq.), sicut dicitur: *Ecce iste positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et signum contradictionis* (Luc. II, 34). Aut præmium regni cælestis, sicut est: *Pœnitentiam agite, appropinquavit* (Math. III, 2), et reliqua. Aut gentium vocatio, sicut dicitur: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum* (Mat. h. VIII, 11). Aut Hebræorum exclusio, ut est quod sequitur: *Filii autem regni hujus excludentur in tenebras exteriores* (Ibid., 12). Aut salvatio per apostolorum prædicationem, ut cum dicitur: *Venite post me, faciam vos fieri pisces hominum* (Matth. IV, 19). Aut miraculorum claritas, ut dicitur: *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. XIV, 12). Aut tentatio persecutioque justorum, ut dicitur: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt* (Matth. X, 17), etc. Aut patientia fidelium inter adversa, ut cum dicitur de Ecclesia: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Mat. XVI, 18). Et rursus: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (Matth. XI, 12). Aut contemplatio regni cælestis et secundi adventus, qua et in hac vita sanctorum animæ perfruuntur,

ut est: *Veniet enim Filius hominis in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera sua. Dico autem vobis quia sunt aliqui de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo* (Matth. XVI, 27, 28). Aut retributio honorum seu malorum, ut cum dicitur: *Et ibunt isti in pœnam æternam; justi vero in vitam æternam* (Matth. XXV, 46). Aut Spiritus sancti præsentia apostolis data, ut est: *Ego rogabo Patrem meum, et alterum Paraclitum mittet vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis* (Joan. XIV, 16, 17). Aut ecclesiastica prænantiat auctoritas, sicut dicitur: *Et dabo tibi claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum et in cælo* (Matth. XVI, 19). Aut mors, passio ac resurrectio Salvatoris, sicut dicitur: *Ex illo cepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum in Hierosolymam ire, et multa sustinere a presbyteris et principibus sacerdotum, et mori, et tertia die resurgere* (Ibid., 12). Aut generalis resurrectio, ut cum dicit Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I Cor. XV, 22). Aut simul Christi et nostra resurrectio, sicut dicitur: *Cum ego exalta us fuero a terra, omnes traham ad me* (Joan. XII, 32). Aut Judææ proditio, sicut dicit Christus: *Nonne ego vos legi ducebam, et unus ex vobis diabolus est* (Joan. VI, 71)? Aut modus tentationis et mortis aliquorum discipulorum, sicut Petro Dominus et negationem futuram prædixit et speciem passionis, dicens: *Antequam gallus cantet, ter me negabis* (Matth. XXVI, 34); et: *Cum senex fueris, extends manus tuas, et alius te cinget et ducet quæ tu non vis* (Joan. XXI, 18). Aut præsentia detentorum Christi, cum dicit: *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet* (Matth. XXVI, 46). Aut dispersio apostolorum, sicut: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (Ibid., 51). Aut pulli asinæ repertio, quem Dominus in Evangelio prædixit a discipulis adducendum (Matth. XXI, 2, 5). Aut Antichristi præsentia, cum dicitur: *Nemo vos seducat ullo modo: quia nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui contradicit* (II Thess. II, 3). Aut Eliæ præsentia, cum dicitur: *Elias veniet primum* (Matth. XVII, 11). Aut conscientia electorum, ut de Paulo: *Vas electionis mihi est iste* (Act. IX, 15). Aut aliqui non immutandi, sed gustaturi mortem prædicantur, sicut Apostolus: *Ecce mysterium dico vobis: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I Cor. XV, 51). Aut futura pestis, sicut Agabi propheta (Act. XI, 23). Aut hæresum contrarietas, sicut dicitur: *Istud autem agnosce, quia in ultimis diebus exsurgent tempora maligna* (II Tim. III, 1). Et rursus: *Quando sanæ doctrinæ non acquiescent, sed secundum sua desideria quærent sibi doctores* (II Tim. IV, 3). Aut baptismatis gratia, ut est: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (Matth. III, 11). Aut consumptio Jerusalem ac templi judæici, sicut est: *Orate ne fiat*

• Hebr. ad litteram, *donec luna desit*. LXX, εως ου ἀνααιρεθῆ ἡ σελήνη. Vulg., *donec auferatur luna*.

*fuga vestra hieme vel sabbato (Matth. xxiv, 20); et: A* *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (Matth. xxiii, 38). Aut Evangelii prædicatio, sicut dicitur: Et prædicabitur Evangelium regni in omni orbe terrarum, in testimonium omnium gentium; et sic erit finis (Matth. xxiv, 14). Aut mala finis ipsius una cum ipso fine, ut cum dicitur: Statim post tribulationem dierum illorum sol obcæcabitur (Ibid., 29). B. Quomodo has prædictiones ad futurum sæculum dicimus pertinere? M. Sicut <sup>a</sup> de acceptionibus diximus: quia ea quæ prædicta sunt ante Legem, intentio eorum fuit ad tempora Legis aut Gratiae: rursus quæ in Lege prædicta sunt Gratiam figurabant; et quæ in Gratia, causam et præmium regni cœlestis habuerunt. Ita colligitur prædictionum omnis intentio ad futuri sæculi bona respicere.*

## CAPUT XXV.

*De effectibus prædictionum.*

*D. Quoniam tres jam partes ostendimus eorum quæ ad futurum sæculum diximus pertinere, hoc est acceptiones et figuras et prædictiones, nunc quarta pars restat, ut de effectibus disseramus. Quid sunt igitur effectus? M. Effectus sunt earum rerum quas acceptionum prospiciebat intentio, aut typorum similitudo figurabat, aut dictionum scientia præloquebatur. D. Quot sunt effectuum tempora? M. Tria. Aut enim Legis tempore effecta sunt quæ prædicabantur, aut nunc sub Gratia fiunt, aut sæculorum futurorum tempore complenda sunt.*

## CAPUT XXVI.

*Quæ causa fuerit præsentis sæculi faciendi.*

*D. Si omnia quæ in præsentis sæculo gesta sunt ad futurum respiciebant, quid opus erat ut a Deo præsens sæculum fieret? M. Quia decuit ut rationales creaturæ prius discerent, ut excitarentur in dubiis, ac tunc æternis postea fruerentur; et merito data viderentur probatis; et gratiora fierent reminiscensibus transacta certamina; et plus glorificarent donatorem qui pius in hoc sæculo juvat; et ut vincerent, et victoribus æterna præmia concederet.*

## CAPUT XXVII.

*De doctrina rationalium in hoc sæculo.*

*D. Quot modis in hoc sæculo rationalium doctrina peragitur? M. Duobus. Aut intelligentia rerum factarum, sicut dicit Apostolus: Quia invisibilia ejus <sup>D</sup> *creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (Rom. 1, 20). Necessè est enim ut qui mundum atque omnia in eo posita considerat, modis ordinibusque distincta, intelligat esse Deum, qui hæc**

*et fecerit et gubernet. Aut ex divinis Scripturis, quæ (ut diximus) in quatuor species dividuntur; historicam, propheticam, proverbialem, et simpliciter doctentem.*

## CAPUT XXVIII.

*Quæ servanda sint in Scripturarum intelligentia.*

*D. Quæ sunt quæ in intellectu divinarum Scripturarum custodire debemus? M. Ut ea quæ dicuntur dicenti conveniant; ut a causis pro quibus sunt dicta non discrepent; ut concordent temporibus, locis, ordini, intentioni. D. Quam dicimus divinæ doctrinæ intentionem? M. Ipse Dominus dixit: Ut diligamus Dominum ex toto corde et ex tota anima, et proximos tanquam nos ipsos (Matth. xxii, 37, 39). Doctrinæ autem corruptio est et contrarium, Deum non amare vel proximum. D. Quæ hujus contrarietatis est causa? M. Causa malorum in ipsis est qui mali sunt; quia dum libero arbitrio atque bene concessæ inordinate utuntur rationales creaturæ, et malitiæ et pœnæ causa sibi met existunt.*

## CAPUT XXIX.

*Unde libri religionis catholicæ asseruntur.*

*D. Unde probamus libros religionis nostræ divina esse inspiratione conscriptos? M. Ex multis, quorum primum est ipsius Scripturæ veritas; deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasque verborum. Additur conscribentium et prædicantium qualitas: quod divina, homines; excelsa, viles; infacundi, subtilia, non nisi divino repleti Spiritu tradidissent; tum prædicationis virtus, quam dum prædicaretur (licet a paucis despectis) obtinuit. Accedunt his, rectificatio contrariorum, ut sibyllarum vel philosophorum; expulsio adversariorum, utilitas consequentium, exitus eorum quæ per acceptiones et figuras et prædictiones quæ prædicta sunt; ad postremum miracula jugiter facta, donec Scriptura ipsa susciperetur a gentibus. De qua hoc nunc ad proximum miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur.*

## CAPUT XXX.

*Ubi sit fides religioni necessaria.*

*D. Si divinæ Scripturæ probationibus sufficiunt, quid necessaria est religioni fides? M. Fides nostra super ratione quidem est; non tamen temerarie et irrationabiliter assumitur: ea enim quæ ratio edocet, fides intelligit; et ubi ratio defecerit, fides præcurrit. Non enim utcumque audita credimus, sed ea quæ ratio non improbat. Verum quod consequi ad plenum non potest, fideli prudentia confitemur.*

<sup>a</sup> Ita rescripsimus ex superiori cap. 15 et cap. 25 hujus libri. Editi, de acceptionibus dicimus.